

Q. D. B. V.
DISSERTATIO HISTORICO-MATHEMATICA

QVA
REFORMATIO

PONTIFICVM IN MATHESI
INFELIX

A
LAETAM

IVBILAEI
LVTHERANORVM SECVNDI

MEMORIAM CELEBRATVRIS
IN ILLVSTRIS GYMNASII
ERNESTINO-FRIDERICIANI
AVDITORIO PVBLICO

AD D. V. Novembris A. S. MDCCXVII
PVBLICAE DISQVISIONI SVBMITTIVR

PRAESIDE

M. BONIF. HENR. EHRENBERGER

MATHEM. P. P. O.

AC RESPONDENTE

IOHANNES CASPARO RITTWEGER

HOLZVSA-HELDVVRGENSI

ILL. GYM. AVDITORE PVBL.

HILDBVVRGHVSAE,

EXCVDEBAT B. PENZOLD, SAXO-DVC. ET ILL. GYM. TYPOGR.

60.

a. XXIX. 33.

b. diss. A
33

DISSELTATIO HISTORICO-MATHEMATICA

179

REFFORMATIO

CONSTITUCVM IN MATHESE

THESE

ARTIS

IVBILAEI

EVITERANORVM SECVMDI

MEMORIAM

ERNESTVS



AD

TRACTVS

M. BONIF. HENR. JÜRGENBERGER

MATHESE


AC

IOHANNES CASPARUS RITZINGER

HONORABILIS

AC

EDITIONE



I. N. D.



Quantum emolumentum præstiterit
Ecclesiæ per singulare Spiritus S. in-
strumentum veritatisque cælestis
Enthem, B. Lutherum coepta re-
formatio, nec verbis satis exprime-
re, nec vnquam diuino Numini
sufficientes agere gratias valemus.
Per eam enim usque ante hac ad sa-

lutem via errorum nugarumque spinis ac dumis præclu-
sa ac plane inuia reddita, non modo iterum aperta & re-
purgata habetur, sed sanioris quoque Philosophiæ partes
singulæ, ad diuinam sapientiam aditum pandentes, rela-
xata philosophandi libertate, a verborum ineptiis pariter
atque præiudiciorum tenebris, quibus Philosophia Scho-
lastica scatebat, liberatæ, ad nitorem suum eo vsque perue-
nerunt, vt Cernere nunc liceat, quid distent æra lupinis.

Hinc annum diemque exorti primi diluculi, quo
Euangelii facem denuo accendere Diuinum Numen per
laudatum Megalandrum inchoauit, inter sacros referre,
etiam Philosophis æquum censemus, idque festum integro
sæculo semel recurrens, memoriæ sempiternæ monumen-

(o)

to ab illis distinguere iussi, morem gerere obnixe lubentes-
que studemus.

Cui celebrationi disputationibus publice habendis
augenda ac continuanda, munerique simul nostro, argu-
mentum haud inconueniens iudicabit L. B. quod Papam
in Mathesi Reformatorem errantem aut infelicem exponit.
Faxit supremus noster Antesignanus caelestis, hoc ut in-
stitutum in ipsius vergat gloriam & studiosorum commo-
dum!

CAPVT PRIMVM *ac Preliminare.*

§. I.

Quaquam per *Reformationis* vocabulum ordinarię
denotetur, in priorem aut meliorem formam reductio (a):
Nihil tamen impedit, quo minus etiam generaliori acce-
ptione, quam & Etymologia innuit, per hoc *quamcunque*
rei in aliam formam mutationem intelligamus. Priori sensu Cal-
uino addicti sese Reformatos appellarunt, posteriori apud
nos eundem titulum etiamnum retinent.

§. II.

Dum autem adieciimus vocabulum *infelix*, intellectam
volumus *mutationem alicuius rei desiderio aut intentioni non satisfac-*
cientem, siue hæc mutatio sit alicuius melioris ac perfectio-
ris in minus bonum aut perfectum, siue rei antea imper-
fectę in aliam imperfectam. Hincque *reformatio sententie*
cuiusdam infelix erit reiectio aut ablatio thesios veritati magis con-
formis, & in eius locum falsę vel minus certę electio. Vel etiam
Toleratio sententie falsę, reiectis eis, quę magis sunt vera.

§. III.

Id autem Pontificibus quibusdam Romanis, aut qui
ab eis fuerunt constituti ad sacrum officium, dicimus con-
tigis-

(a) vid. Cellarij Lexicon Buchnero-Fabrianum, sub tit. *reformare*,

tigisse in *Mathesi*, h. e. iis disciplinis, quæ sine Arithmetica vel Geometria subsidio earumque fundamentis præcognitis tractari accurate haud possunt. Quanquam id neuti- quam volumus, Papam Romanum omnes ac singulas di- sciplinas Mathematicas impugnasse, sed in aliquibus sal- tem thesibus aut certo studio, ad doctrinas Mathematicas relatis, existisse *Reformatorem infelicem*.

§. IV.

Nec etiam mens nobis est, Papam Romanum aduer- sarium esse scientiæ Mathematicæ. Tametsi enim iam olim sæculo IV in concilio Laodiceensi, Canone XXXVI, qui codici canonum Ecclesiæ vniuersæ, cui Ecclesia Roma- na sese adstrinxit, insertus est, prohibitum legimus, ne sacerdotes aut clerici, Magi aut incantatores vel *Mathema- tici* existant (b); neuti- quam tamen scientiæ Mathematicæ hic prohibitæ cenferi queunt, sed solum vana illa ex Astro- rum situ atque, qui falso creditur, influxu, diuinandi ars, (*) vtpote primiti- uæ Ecclesiæ Christianæ maxime exosa, i- psoque DEO detestata (c).

§. V.

Etenim ipsa experientia comprobauit, *Mathesin* a Clericis non fuisse reiectam. Cum non hodie solum apud

eos,
(b) Verba Canonis sunt: Οὐ δεῖ ἱερατικὸς ἢ κληρικὸς, μάγος ἢ ἐπαιδὸς εἶναι, ἢ μαθηματικὸς, ἢ ἀστρολόγος, ἢ ποιεῖν τὰ λεγόμενα φυλακῆρια; ἄλινα ἐπὶ δεσμωτήρια τῶν ψυ- χῶν. τῶς δὲ φορῆντας ῥίπτειν ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκελεύ- σαμεν. h. e. Non oportet Sacerdotes aut Clericos, Magos aut incantatores esse, vel MATHEMATICOS, vel Astrologos, aut facere, quæ dicuntur Phylacteria, quæ quidem sunt animarum ipsarum vincula, eos autem, qui ferunt, eiici ab Ecclesia præcipi- mus.

(*) Conf. Jus Canon. Caussa XXVI Qu. II. Can. 6, & Qu. III can. I.

(c) Jesaiæ Cap. XLVII, 13.

eos, præfertim Jesuitas, hoc studii genus vigeat, sed antecedentia quoque sæcula multis, iisque insignibus, claruerint æstimatoribus: quorum quosdam in medium adducere, ab instituti ratione haud esse alienum, existimamus.

§. VI.

Agmen ducat summus ipse Pontifex Romanus, Syluester II, alias Gereberti nomen ferens, qui scientias Mathematicas ex Hispania, vbi a Saracenis haufit, in Galliam ac Germaniam tandemque in Italiam transtulit, & alium eumque faciliorem numeros tractandi modum introduxit (d). Ante eum laude sua defraudandi sunt minime, Dionysius Alexandrinus Episcopus, Eusebius Pamphili Casariensis Episcopus, Theophilus & Cyrillus, Episcopi Alexandrini (e), Dionysius, Abbas Romanus, cognomento Exiguus (f). S. Victor, Episcopus Capuanus (g) Maximus Martyr (h), Venerabilis Beda (i), Abbo, abbas Floriacensis (k). Post

(d) Fuit primo Archiepiscopus Rhemensium, deinde Rauennatum, & postea Anno 999 Pontifex Max. factus, Ottonis III. Imperatoris fauore, cuius fuerat Præceptor in litteris & disciplinis eximius. Sigonius VII. de Reg. Ital. p. 185. Conf. Riccioli Chronol. Reform. T. II. p. 133. b. & 134. Io. Auentini Annal. Boior. L. V. c. IV. §. 16. Caluissii Op. Chron. ad ann. 998, p. 710, a. vid. Io. Cunr. Dieterichii Breuiar. Pontif. Rom. p. 194 seq. (e) qui in Chronologia inclaruerunt maxime. vid. Vossius de Scient. Math. cap. XL. (f) Qui Anno 526 Cyclum Victorii emendauit testante Vossio, de Scient. Math. c. XL. §. II. a quo etiam cepit consuetudo annos numerandi a nata Christo, hincque æra Dionysiana a multis appellatur. (g) Qui anno 540 clarus de cyclo Paschali volumen condidit, teste Beda Lib. de VI ætatibus, & de ratione Temporum c. 48, vid. Voss. l. c. §. 12. (h) Hic inter alia de Pascha Dominico scripsit, quo vsus est Petauus in elaboratione Operis de doctrina Temporum. Conf. ejus Prolegomena cap. IV. (i) Famam ei seculo IIX conciliarunt libri de Temporum ratione, de sex ætatibus Mundi, de Temporibus ad intelligendum supputationem Temporum S. Scripturæ, Voss. l. c. §. 14. Eius laudes insignes videre licet in Thomæ Pope Blountii censura celebriorum Auctorum p. 439. sqq. (k) Qui præ-

Post eum vero floruerunt, Hermannus Contractus, Comes Heringensis, cœnobii S. Galli Monachus (l), Albertus Magnus, Episcopus Ratisbonensis (m), Rogerus Baconus, Anglus, Ord. S. Franc. monachus (n), Ioh. Pecamus, Archiep. Centuariensis & totius Angliæ Primas, (o) Hermolaus Barbarus, Aquileiensis Patriarcha (oo), Ioh. Bacondorpius (p), Ioh. Somerius (q), Nicolaus Cusanus, Cardinalis & Brixienfis Episcopus (r), Paulus Middelburgensis, Episcopus Sempronienfis (s), Albertus Pighius, Cam-

præter alia de Motibus stellarum scripsit, & librum in calculum Victorii fecit, circa ann. Chr. 980 celebritatem nominis adeptus.

- (l) Scripsit de quadratura Circuli, Monochordio, compositione Astro-
labii, de Eclipsibus & de Computo. Voss. de Scient. Math. c. XVI
§. 3. XXXV §. 11. (m) Vir eruditionis admirandæ & pietate præ-
stantissimus, circa ann. MCCLII celebris, cuius laudes exhibet
Thomas Pope Blountius Lib. cit. p. 416 sqq. & Io. Auentinus An-
nal. Boi. Lib. VII c. VII §. 14. p. 667, a. scripsit inter alia Lib. IV.
de Arithmetica, Geometria, Musica & Astrologia. Voss. de Sci-
ent. Math. cap. XVI §. 9. vid. etiam le Dictionaire de Mons. Baile.
(n) qui referente Vossio l. c. cap. XXVI §. 10. ut omnes artes & sci-
entias penetravit, vir ad miraculum doctus, ita varia quoque in
iis scripsit, e. g. Librum vnum Perspectivæ singularis, tres Perspe-
ctivæ distinctæ, vnum Perspectivæ continuæ; it. Librum de visu
ac speculis, alium de speculi Facultate, nec non de forma resul-
tante in speculo, deque speculis vstoriiis, (o) Edidit perspectivam
communem & particularem. Voss. XXXVI, 9. (oo) qui quæstio-
nes Geometricas scripsit aliaque: Voss. c. 26. (p) Scripsit de Astro-
rum scientia & de sphaera iudiciali. Voss. LXIII, 9. (q) S. Francisci
Monachus, Astrologorum ætate sua in Anglia princeps, qui
Astorum Canones edidit, it. de quantitate anni scripsit, ut &
Calendarii Castigationes & Opusculum tertii Calendarii. Voss.
LXIII, 15.
- (r) Quo Fabri Stapulensis iudicio, Mathematicas disciplinas nemo pro-
fundius penetravit. Scripsit de Transmutationibus Geometricis,
it. de Complementis Arithmeticis ac Mathematicis, de Perfe-
ctione Mathematica, de reparatione Calendarii, aliaque. Vossius
l. c. c. LI, §. 9. (s) Decalendarii emendatione s. de Paschatis ob-
ser-

Campensis Transifalanus, Præpositus (t), Franciscus Maurolycus Abbas Messanensis (u) Christophorus Caluius è Soc. Iesu (w). Vt taceamus Philibertum de Lorme, Athanasium Kircherum, Ricciolum, Aguillonium, Malebranchium, Taquetium, Goodenium, Lamium, Pardiesium aliosque complures satis notos.

§. VII.

Id tamen minime inficiamur, Studium Mathematicum ab huius scientiæ ignaris persecutione fuisse afflictum, ac tanquam dæmonicum, carceribus igneque dignum habitum. Sic ipse Pontifex, Sylvester II in eam lapsus est suspicionem, vt etiam, cum e vita discessisset, dubii hæsitauerint, corpus ipsius honesta ratione sepelire (x). Idem

ho-
seruatione libros XIV edidit. (t) Erat Papæ Adriano VI familiaris ac amantissimum sui habebat Clementem VII, in Mathefi instituit Paulum III, a quo donatus est duobus ducatorum millibus. Anno 1520 edidit rationem celebrandi Paschatis & restitutionem Calendarii Ecclesiastici ad Leonem X. Etiam de æquinoctiorum solstiorumque inuentione, aliaque de quibus Vossius l. c. cap. LXV §. 5. (u) Scripsit Arithmeticam, Cosmographiam, computum Ecclesiasticum, de lineis horariis, de lineis secantibus aliaque Voss. l. c. passim (w) Sæculi sui Euclides appellatus, ac Iani Nicii Erythraei iudicio, in Pinacotheca p. 176. Mathematicorum facile princeps. Opera ipsius iunctim sunt edita & recusa Amsteladami a, 1700. in fol.

(x) Conf. Nauclerus sub fin. part. 1. Vol. 2. p. 144. Baronius Ann. T. X ad A. 999. p. 926 seq. Wierus 6. de Venef. 5. p. 672. seq. Io. Cunr. Dieterichii Breu. Pontif. R. p. 195. Miramur autem & demiramur Sethum Caluifium, qui scientiæ Mathematicæ ipse haud ignarus ac historiarum alias imperitus minime, eandem tamen suspicionem fouet. Verba eius Opere Chronol. p. 710, a, hæc sunt: *Gerbertus, studiis Mathematicis additissimus & pro Mago habitus, qui pactum fecerat cum Diabolo, vt ad summos honores promoveretur. Quod falsum esse vix videtur, cum nemo unquam acrius Papam Romanum & sedem Pontificialem impugnauerit, & omnes fere scelestes Pontifices ordine numerarit, idque in recenti memoria ante annos octo, cum ab Episcopatu Rhemenfi deiceretur, & tamen Papa factus sit.*

honos Alberto Magno, supra nominato, contigit, quod nullo in scientiarum genere hospes erat, Mathematicæque præsertim operam dedit, atque curiosis illius & Chemiæ delectatus est; inter quæ maxime celebratur formatio capitis fictilis (y) aut ænei (z) mechanica, quod loqui potuit: id. que veritati conformius potest censerî, quam conuiuium illud magicum, cuius historiam vel fabulam potius, ex Lehmanni Chronico Spirensi recenset Paschius (a). Scripsisse etiam Magiam ex Auentino colligere est (b). De magiæ vero dæmonicæ crimine strenue eum defendit Naudæus, in Apologia Virorum magiæ infimulatorum. Alberto adiungimus coæuum, Rogerum Baconem supra nominatum, primum pulueris pyrii inuentorem, prout Paschius id demonstrare annitur (c), quique, dicente Vossio (d), adeo miranda ope Matheseos præstabat, vt ab inuidis ac imperitis apud Papam Clementem IV magiæ dæmoniacæ fuerit accusatus & propterea aliquamdiu in carcere detentus.

§. VIII.

In tantum autem dicimus Papam Matheseos exstitisse Reformatorem, in quantum vel putauit, vel quasi putaret videri voluit, esse e re Christiana. Cum igitur nulla disciplinarum mathematicarum maiorem habeat propin-

):(:):

qui-

(y) Vid. Paschius in Inuent. Nov-Antiq. cap. VII §. XLIII p. 694.

(z) Vid. Morhofius, Polyhist. T. II. Lib. c. XIV §. 2. p. 85.

(a) Lib. cit. c. VII §. XV p. 580 seqq. illeque ex Trithemio in Chron. primo, quem scimus, huius fabulæ relatores.

(b) Verba ex Lib. VII c. VII n. 14. p. 667. sic habent: *Legi eius Dialectica, Mathematica, Physica, Metaphysica, Ethica, Theologumena: Et si fas est dicere, Magica, adeo exacta atque exquisita, haud aliter, quam si vni duntaxat operam nauasset.*

(c) in Inventis Nov. Antiquis cap. VII §. LVII. p. 746.

(d) de Scientiis Mathematicis cap. XXVI §. 10. Conf. etiam Paschius Lib. cit. cap. II §. XXXIII p. 139. Borrichius de ortu & progr. Chemiæ p. 123. seqq. & celeberrimi Dn. Buddei Lexicon Historicum.

quiritatem cum Scriptura S. quam Astronomia, huicque subordinata, Geographia ac Chronologia: etiam Pontificum reformatio potissimum has tetigit. Quod autem infelici fidere fuerit facta, nec secundum veritatem aut perfectionem desideratam peracta, nunc vberius a nobis erit deducendum.

CAPVT II.

De Reformatione in Geographia.

§. I.

Vt autem de Geographia faciamus initium, primum eius caput est, quod figuram terræ cum aqua coniunctæ explicat: in quo rotunditas eius globosa variis demonstratur argumentis, vel ab umbra rotunda in Eclipsibus lunaribus conspicua, vel ab ortu & occasu siderum terris orienterioribus citius exorientium ac iterum euanescentium temporisque discrepantia, vel ab Eleuatione Poli, vel a latitudine aut longitudine telluris stellarumque diuersis locis diuersa, vel denique ipsa experientia, h. e. aut rerum eminentium, nauium e. g. turrium, montium etc. in Oceani præsertim planitie eminus ac cominus successiue spectatarum maiore maioreque successiue detectione, aut ipso itinere per nauigia circa terram instituto, desumptis (e).

§. II.

Quanquam autem ex iisdem argumentis, globi terræquei figuram antiquis fuisse cognitam, asserere non audeamus; negare tamen non possumus, eam olim latuisse mi-

(e) Vid. Riccioli Geogr. & Hydrogr. Reform. Lib. I c. I p. 1. Varenii Geogr. General. Lib. I cap. III pag. 25 seqq. vt & cel. Liebknichti, amici nostri conuinctissimi, Elementa Geographiæ Generalis, p. 276 seqq.

nime. Etenim conuincit nos non modo Polydorus Virgilius (f), qui *Plutarchum* dixisse adserit, *Anaxagoram* primum monstrasse Lunæ defectum eiusque causam luminis ac umbræ, atque litteris mandasse: sed & ipse *Aristoteles* Systemate suo, vbi rotunditatem terræ supponere haud obscure videtur (g) immo expressis etiam verbis significat (h), terræ globose incubare aquam, huicque aërem ac reliqua elementa. Vt taceamus Plinium aliosque ex Veteribus, quos adducit Liebknichtius Math. Pr. Gieß. optime merens (i), & ipsas sacras litteras ab Ricciolo l. c. pag. 1. citatas (k).

§. III.

Ex qua doctrina cum experientia collata illud pronouit aluo, terram non modo undique esse liberam ac aëre circumclusam; sed dari quoque homines, qui aduersis nobiscum pedibus in globo terraqueo versantur, *Antipodes* appellati, & vbiq; versus centrum terræ pedes dirigentes. Quare inter veteres quoque non defuerunt, qui Antipodum fecerunt mentionem. Quos inter refert Ricciolus (l) Ciceronem, Macrobius, Cleomedem, Pomponium Melam, Plinium & Martianum Capellam. Quan-

quam
(f) De rerum Inuentoribus Lib. I c. XVII p. 64. (g) Libro de Mundo, cap. II.

(h) l. c. cap. III. Verba sic habent: Πέντε δὲ στοιχεῖα τὰυτα, ἐν πέντε χώροις σφαιρικῶς ἐγκείμενα, περιεχομένης αἰεὶ τῆς ἐλάττονος τῆ μοίζονι λέγω δὲ, γῆς μὲν ἐν ὕδατι, ὕδατος ἐν αἰέρι, αἶρος ἐν πυρὶ, πυρός δὲ ἐν αἰθέρι, τὸν κόσμον ὅλον συνισθῆσατο. h. e. Gullielmo Budæo interprete: *Quinque igitur hæc elementa in regionibus totidem globose incubantia, mundum ipsum ita totum coagmentarunt, minor ut deinceps atque minor regio a maiore cobibeatur: terra (verbi gratia) ut ab aquæ globo, aqua ab aëris, hic ab ignis, ab ætheris denique globo ignis coërceatur.*

(i) In Geographiæ Elementis num. 145. pag. 274.

(k) Psalm. 23 & 92.

(l) Geographia & Hydr. Reform. Lib. I cap. I, p. 1.

(o)

quam duobus prioribus non eadem fuerit sententia cum posterioribus, dum diuersa a nobis naturæ antipodes crediderunt.

§. IV.

Hanc autem sententiam, plurimis rationibus suffultam, nec aliis negatam, vtut ab Ecclesiæ patribus compluribus damnatam (m), Papa Romanus, autoritate, qua se pollere credidit, euertere ac prohibere in negatiuamque mutare est ausus, pœna eum affligendo, qui contrariam, fouit thesin. Ne quid vero asserere videamur, cuius veritatem ob oculos ponere non valeamus, exemplo id comprobare ex Auentino (n) aliisque Pontificiorum scriptoribus nunc adgredimur.

§. V.

Erat sæculo p. Ch. octauo in Bauaria sacerdos quidam & Episcopus, nomine *Virgilius*, qui in disciplinis, Philosophicis ac Mathematicis supra sæculum erat doctus, qui forte docuerat, *circumfundi terræ homines vndique & conuersis inter se pedibus stare*, quos Antipodas Græca, voce nominamus. Hoc ita accipiebatur, quasi Virgilius, alium mundum, alios sub terra homines, alium denique solem atque aliam Lunam esse adsereret. Bonifacius Episcopus Moguntinus, homo ἀγνοῦμεντος, hæc velut impia & Philosophiæ diuinæ repugnantia, refutare ausus est, & ita ratiocinatus: Si essent Antipodes, alii homines, adeoque alius Christus introduceretur. Cui cum Virgilius, sanctimonia & eruditione celebris aduersaretur, Bonifacius apud Zachariam Pontificem Romanum effecit, vt ille ad Vtilonem regulum Bauariæ scriberet & Vtilo tandem Virgilium sede Episcopali eiiceret. Zachariæ ad Bonifacium

(m) vid. Liebknechtl Elem. Geogr. n. 163. p. 290.

(n) Annalium Boiorum Lib. III c. IX p. 262, ex quo eadem habet Bemannus, Hist. Orb. Terr. Geogr. & Civil. cap. I §. IX p. 6.

eum rescriptum habent Marc. Ant. de Dominis (o) Baroni-
 us (p) & Marcus Vuelferus (q). Nec vllum scimus Ponti-
 ficiorum, qui ipsam historiam vocet in dubium; vt po-
 tius omnem moueant lapidem, quo Papam Zachariam ex-
 cufent atque ab erroris ignominia vindicent, rem facti in
 eam torquentes sententiam, quam credunt autoritati Pa-
 pæ minus aduersam; Quorum in specie nominamus Ba-
 ronium, l. c. Fromondum (r), Andream Taquetium (s) &
 Ricciolum l. c. Cuius instar omnium verba hæc transcri-
 bere non veremur, ne aduersa fronte pugnare non velle vi-
 deamur. Ea autem hæc sunt: Hoc sensu, quia nec ef-
 sent illi homines (Antipodes) ab vno eodemque primo
 parente Adamo propagati, nec a Christo redempti, vt
 cum S. Augustino requirunt Theologi, immo cum S. Pau-
 lo, dicente ad Rom. V. *Et ita in omnes homines mors pertrans-*
iuuit, in quo omnes peccauerunt, & 2. ad Corinth. V. *Si vnus pro*
omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mor-
tuus est Christus, & cum S. Luca Actor. XVII. *Fecit ex vno*
homine genus habitare super terram: Hoc, inquam, sensu, &
 sub hac hypothefi Zacharias summus Pontifex, urgente
 S. Bonifacio, Episcopo Moguntino, iussit Virgilium su-
 spendi a diuinis, si sic Antipodas affereret sub terra, vt alio
 Sole & alia Luna illustrarentur; vt aperte constat ex Za-
 chariæ epistola ad Bonifacium, quam recitat Baronius
 tomo IX ad ann. 748. & erudite expendit Marcus Vuelfe-
 rus lib. V. rerum Boicarum. Quare non errauit Zachari-
 as, neque in quæstione Iuris, quamuis Physica, aut
 Cosmographica, neque in quæstione facti, cum non ab-

) () : (3

fo-

(o) de Rep. Christ. L. VII c. V, n. XLVII. (p) Annalium T. IX ad ann.
 748. (q) Lib. V. rerum Boicarum, Conf. Riccioli Geogr. & Hydr.
 Ref. L. III c. XXI p. 86

(r) Becmannus l. c. p. 7. (s) Astronom. l. I c. 2. Conf. Liebknecht l. c.
 n. 164. p. 293.

“solute damnarit assertorem antipodum, sed ex hypothe-
 “si, quod eos extra hunc orbem terræ alio sole ac luna
 “fruentes, tanquam nihil ad Adamum & Christum Re-
 “demptorem pertinerent, assereret, quod cum Virgilius
 “non diceret, non solum indemnatus mansit, sed etiam
 “Episcopatu auctus, & postea vt vir Apostolicæ prædica-
 “tionis ac vitæ, inter Sanctos relatus est.

§. VI.

Ne igitur summo Pontifici faciamus iniuriam, e se
 nostra erit, ex concessis disputare. Conceditur autem a
 Pontificiis I, Episcopum Virgilium fuisse hominem pium ac
 eruditum magis quam tum Christiani mores ferebant, qua
 ratione etiam subsequenti tempore inter Sanctos fuit rela-
 tus (t). 2. Virgilium statuisse Antipodes hac in nostra terra.
 3. Eum a Papa Romam ad examen vocatum (u), quod etiam
 Ricciolus tacendo concedit. 4. Papam non modo Virgili-
 um ab officio Sacro suspendisse, sed etiam testante Auenti-
 no, alium in eum locum ipsi debitum a Bonifacio postea
 fuisse collocatum 5. Sententiam de pluralitate Mundorum
 isto tempore non fuisse cognitam, nec credendum, Ponti-
 ficem S. aut Bonifacium in eam suspicionem incidisse, qua-
 si Virgilius hanc opinionem fouisset. 6. Absonum esset,
 statuere, hominem pium errores habere, ipsum fundamen-
 tum fidei primarium euertentes, eumque postea inter
 Sanctos referre. Ergo Virgilius non statuit alios homi-
 nes ab Adamo non oriundos, aliisque luminaribus gau-
 dentes, neque in hac nostra terra, per num. I. & 6. neque
 in alia terra, per num. 5. Neque ideo, quod Pontifex ita
 suspicatus fuerit, ab officio fuit suspensus. Suspensus ta-
 men est, per n. 4. immo, teste Auentino, repulsus, igitur
 solum propter sententiam n. 7. de antipodibus non erro-
 ne-

(t) Auentinus l. c. n. 23, Ricciolus l. c. (u) Auentinus, n. 25.

neam fuit punitus; sic que Pontifex maximus statuisse ac voluisse dicendus est, non dari Antipodes, erravitque & in quaestione iuris & in quaestione facti, quod tamen Ricciolus aliique sine causa inficiantur.

§. VII.

His Probe consideratis, neminem facile, nisi summa erga Pontificem maximum reuerentia ac cæco obsequio abreptum, aut fulmine sedis, quam dicunt, Apostolicæ percussam, in suum rapiens assensum verba Riccioli; ut potius mirari copia detur, eiusmodi virum tam celebrem summaque Matheseos scientia imbutum adeo esse inconsideratum, ut dum errores Papæ velis obtendere studet, eo plures potius nobis, qui in eo deprehendamus, dederit occasionem. Aut enim, ex mente Riccioli, Pontifex eos reiecisset Antipodes, extra terram nostram existentes, qui terræ nostræ fuissent propiores, aut eos, qui ab ipsa remotiores: si illas; certe tanta stupiditate ac credulitate Zachariam fuisse sequitur, ut rationem sensusque eum pene destituisse credendum sit. Quis enim hominum eo poterit adduci, ut credat, eos, qui infra terram habitarent nostram, illustrari alio sole aliaque Luna, cum videat, utrumque Luminare quotidie ab infernis oriri ac rursus ad ima decedere: aut saltem suspicetur, dari inter sacerdotes (doctrina & rationis usu alios merito superantes), quos talis arrideat sententia risu digna? Sin hos Papa reiecisset Antipodes, qui a terra nostra remotiores concipi potuissent; tamen errasset Papa, dum eam sententiam inter absurda, damnosa ac suspensione remotioneque digna retulisset, quæ statuit, dari extra hunc mundum nostrum aliam terram, alium Solem aliamque Lunam. Quid enim omnes stellæ fixæ sunt aliud, quam Soles? & quid Circumiuiales illi comites, aut quinque Stipatores Saturni, quam Lunæ,
 pari

pari ratione corpus suum primarium, circa quod feruntur, tanquam terram suam collustrantes, æque ac Luna terram nostram? Neque etiam adparet, quid damni adferat doctrinæ Christianæ, de aliis hominibus alia corpora cœlestia inhabitantibus, sententia. Nihil enim derogat, nec de fide nostra, nec de merito Christi vniuersali, quod ad huius mundi nostri siue terræ incolas, quantum scimus, pertinet. Manet verum, Iesum Christum esse Seruatorem totius mundi, scilicet nostri: reliquos enim, si qui sunt, non curamus. An igitur Virgilius, si ita peruerse, ex mente quidem Riccioli, statuisset Antipodas, suspensionem ab officio esset promeritus, omnes sanæ mentis homines iudicent.

§. VIII.

Denique ex collatione verborum Riccioli atque Auentini non obscure patet, Papam aut iniuste aut præcipitanter egisse, quod, causa nondum satis cognita atque examinata, Virgilium ab officio semouere, Bonifacio permisit. Tametsi enim, dicente Ricciolo, honore nouo postea fuerit auctus; exinde tamen nihil aliud sequitur, quam vt Papam facti sui ac pœnæ in Virgilium pœnituerit, ipseque adeo ipso facto nauos suos sit professus. Cum non legatur, Virgilium suam mutasse sententiam, hocque cum sede Romana fuisse reconciliatum.

§. IX.

Neque tamen omnis culpa & error solus redundat in Pontificem Zachariam. Si quis enim antecedentia cum ipsa historia combinauerit, deprehendet facile, multum causæ cadere in Bonifacium Episcopum Moguntinum, & Germaniæ Apostolum, hominem cholericum præditum temperamento atque ad vindictam pronum. Rem omnem ex Auentino, tanquam ab ovo, quod dicunt, colligere licet.

(w) E.

(w) Erat nimirum in Boiaria Sacerdos quidam latini ser-
 monis ignarus; is candidatos religionis lustrarat hisce
 verbis: *Baptizo te in nomine patria & filia & Spiritua Sancta* (x)
 Bonifacius illos ceu profanos abominabatur, & rursus a-
 qua lustrica tingendos censebat. Sidonius autem, maxi-
 mus Boiorum Pontifex, & Virgilius dissentiebant, pu-
 gnantemque sententiam sectabantur, prohibebantque
 huiusmodi iterum lauacro sacro expiari. Nam pro Chri-
 stianis rite lustratis eos habebant, prouocantes ad Zacha-
 riam Pont. R. Hic Bonifacio rescripsit, Sidonii & Vergi-
 lii opinionem adprobat, talesque tinctos esse declarat.
 Id autem sancto Apostolo bilem mouisse aut stomachum,
 non dubitamus. Hinc arripuit occasionem animum laesum
 vindicta satiare doctrinam praetexens de Antipodibus, e-
 amque velut impiam refutat, Virgilium publice, priua-
 tim arguit, ad recantandum has nantias prouocat, effla-
 gitatque iure quasi suo, vt legatus Germaniae, ne ille hu-
 iusmodi deliramentis sinceram & simplicem Christi sa-
 pientiam polluat atque contaminet. Virgilius hac iniu-
 ria laceratus, animum Vtilonis reguli Boiorum, apud
 quem plurimum valebat, abalienare a Bonifacio, atque
 inter eos discordiam & odium serere conatur. Iactabat
 etiam a Romano Pontifice (vt quidem Auentinus iactat,) Etri-
 designatum Episcopum, qui primus ex his quatuor, quos
 Bonifacius Boiis consecrarat, decessisset. Bonifacius id
 Zachariae P. M. litteris conqueritur & Zachariae quo-
 que Philosophia Vergilii coepit esse suspecta. Ipse igi-
 tur legatos cum mandatis & litteris ad Vtilonem ire iu-
 bet, partes suas Bonifacio commendat. *Vergilium phi-*
losophum (si sacerdos sit, inquit, nescio) ab templo Dei & Eccle-
sia depellito, sacerdotio in concilio abdicato, si illam peruersam do-

(w) l. c. num. 21. 22. (x) vid. Riccioli Chronol. Ref. T, II, Chron. M.
 ad ann. 744. pag. 104.

“*Etrinam fuerit confessus.* Sidonio quoque & Virgilio com-
 “minatorias scripsit litteras Romanus Episcopus, postu-
 “lavitque, vt Bonifacio obsequantur. Insuper regulo Bo-
 “norum nuntiatum est, vt Virgilium Romam mittat, vt Vir-
 “gilius rationem reddat, ac a Pontifice Romano examine
 “comprobetur. Posthæc Bonifacius duos consecrauit E-
 “piscopos, Burckhardum iussu Carolomanni Ducis Fran-
 “corum & Vuilibaldum consensu Vtilonis. Sic igitur o-
 dium atque inuidiam hanc peperisse controuersiam, at-
 que Pontificem Summum reformatorem in Cosmographia
 fecisse errantem ac infelicem, ad oculos patet.

CAPUT III.

DE REFORMATIONE

in Chronologia.

§ I.

Alterum, quod Pontificem reformatorem in Mathefi
 exhibet infelicem, est Calendarium & in eo potissimum
 festorum ordinatio mobilium a Paschatis constitutione
 pendentium: Cuius cura non vnus, sed plurium Ponti-
 ficum animos exercuit, infelici quanquam semper suc-
 cessu.

§. II.

In primitiua quidem Ecclesia liberum erat Christia-
 norum cœtibus pro suo cuiilibet arbitrio, Paschatis, aut ali-
 ud quodcunque festum celebrare, tempore, quod vide-
 batur aptum. Qua de causa etiam non vbique in eun-
 dem diem Pascha definiuerant; cuius autem varietas a-
 morem mutuum Christianos decentem, non impediabat,
 multo minus auferebat, præsertim Spiritus Sancti manda-
 to ipsis nitentibus per Apostolum dato; ne quis alter al-
 terum in parte diei festi, aut nouilunii, aut Sabbatorum
 iudi-

iudicet (y). Sic Asiatarum (z), speciatim Syri, Cilicii & Mesopotamii Pascha celebrabant eodem die, quo Iudaei; cum Ecclesia Occidentalis maximam partem, diem dominicam proxime sequentem constituisset, & veteres Galli ad VIII Kal. Aprilis siue 25 Martii Pascha alligassent; nullis huc usque eade causa exortis discordiis. Postquam autem spiritus Christo aduersus dominatum Papalem introducere cepit, nihil visum est commodius Pontifici Romano, principatum reliquorum totius Ecclesiae Episcoporum obtinendi medium, quam de Paschate materia.

§. III.

Hinc Victor I. A. C. 194 Pontifex factus reliquos Ecclesiarum Episcopos in suam pertrahere sententiam, blandis verbis partim, partim diris comminationibus ac anathematis fulmine, studebat; quibus autem tantum abest ut Ecclesiarum differentiam sustulerit: ut potius ingentis schismatis in Ecclesia causa exstiterit; cui igitur medelam adhibiturus Constantinus M. Imperator, conuocata synodo Nicæna, eo rem perduxit, ut tandem vnanimi consensu Pascha ad diem Dominicam, quæ sequitur plenilunium siue XIV mensis Nisan, cui proxime præcedit æquinoctium vernum, constitueretur. Quo facto reliqua festa mobilia a Paschatis loco pendentia facile collocabantur (a). Quia vero æquinoctii ac Plenilunii inuentio requirebat virum in Calculo Astronomico haud leuiter versatum, ideo Alexandrino Episcopo demandatum id negotii fuit, ut quotannis calculo accurate inquireret tempus Paschale, hocque Archiepiscopis per litteras mature indicaret, ex quibus reliqui Episcopi & Ecclesiarum ministri id comperirent.

):():():(2

§. IV.

(y) Ad Coloss. II. 16. conf. ad Gal. IV. 9. 10. (z) Vid. Eusebius Hist. Eccl. lib. V. c. XXII. & B. Hambergeri dissertatio eruditissima, de Basi Computi Ecclesiastici pag. 4.

(a) Vid. Beda de Rat. Temp. cap. XLVI. Ricciol. Chron. Ref. T. II, ad ann. 325.

§. IV.

Optandum autem esset, vt eandem viam diutius calcassent, nec ad diuerticula declinassent, excogitatis varii generis Cyclis omnem respuentibus acribiam atque Ecclesiam denuo turbantibus, ex quo fiebat, vt Paschatos celebratio haud raro in alium quam debebat diem transferretur, aliique alium saepe diem festum peragerent. Cui discrepantiæ tollendæ cum Papa *Hilarius* imparem sese sentiret, *Victorino Aquitanico* obtulit prouinciam, qui autem nihil minus quam discrepantiam e medio sustulit, sed potius nouum consuit Cyclum annorum 532, neque cum Latinorum cyclo, (qui 84 annorum decursu terminabatur,) neque cum Alexandrinorum Computi circulo, (qui vel 418 annos ad *Theophili Archiepiscopi Alexandrini* mentem, vel 95 solum includebat) prorsus conuenientem, adeoque turbas in Ecclesia magis augetentem (b). Quo euincitur, & hunc quoque Papam infelicem in computo Paschali constituendo extitisse reformatorem.

§. V.

Noua igitur requirebatur reformatio computi Paschalis, qui etiam, auctore *Dionysio Exiguo*, quem supra nominauimus, elaboratus, eodemque anno, quo *Felix IV.* sedem Papalem obtinuit, est exorsus, testante *Petavio* (c), anno autem 530 demum incipiens, ac *Victorini*, siue vt alii volunt, *Victorii*, cyclum recensens & emendans (d): qui, quod ad mentem Alexandrinorum erat constructus, eo facilius successu temporis pro norma est electus. Vtut autem ad nostra vsque tempora inualuit, erroris tamen non minus expers est, quam præcedentes reliqui, nec magis decreto Patrum in Concilio Nicæno satisfacit, tribus

quip-
 (b) Vid. *Petanius* in Append. oper. de doctrina Temporum. Conf. *B. Hambergeri* dissertatio laudata p. 17. seqq. (c) *Ricciolus Chr. Ref.* T. II, ad. ann. 526. (d) *Scaliger de Emend. Temp.* L. II, p. 155.

quippe potissimum erroribus contaminatus. Præterquam enim, quod annum magnum Lunæ-Solarem Metonis Atheniensis (quo Phases Lunæ post XIX. annos quoslibet in pristinum cadere soleant diem horamque.) admodum imperfectum & intra 304. annos integrum diem aberrantem, pro fundamento habet, indeque Cyclus decennouennalis audit; tempus etiam Æquinoctii non ad illum alligauit diem, quo vere incidit, sed vicesimum primum Martii tanquam certum supponens, in tantam successiue temporis aberrationem excreuit, vt tempore Gregorii XIII. Pontificis R. anno 1582. Æquinoctium ad 10. Martii circiter esset retrogressum, idque ex alio falso supposito, quod anni magnitudinem perpetuo faciebat dierum 365. horarum 6; cum longitudo eius non nisi dierum 365. horarum 5. cum annexis circiter 49. minutis existeret. Quo factum est, vt dies Paschalis haud raro quatuor immo quinque hebdomadas serius, quam debebat. celebraretur.

§. VI.

Causam itaque inueniebat Gregorius XIII. Pontifex, qui nouam Computi Ecclesiastici reformationem cogitaret, quem ingenti etiam sumtu & labore in locum Dionysiani substitui curavit. Sed vero, cum calculum Astronomicum reuocare & cyclico illi substituere debuisset; id quod fecerunt Status Imperii Protestantium serenissimi; alium potius consui Cyclum decennouennalem fecit, fundamento adeoque pariter erroneo superstructum, Epactasque substituit tanquam pleniluniorum certiores indices, atque æquinoctium vernum ad 21. Martii, quem diem circiter Synodi Nicænæ tempore occupauerat, reuocauit, eiectionis anno 1582. decem diebus, simulque ea lata lege, vt quaternis quibusque annorum centenariis tres dies bissextiles superflui omitterentur. Hanc vero Calendarii

):():():(3

re-

reformationem existisse infelicem, non solum ex collatione computi reformati cum Dionysiano, sed ipsis etiam Pontificiis non abnuentibus, immo noui huius Cycli directoris ipsius, Christophori Clauii, confessione ingenua, fatis superque docemur. Cuius propria verba, quæ exstant in eius Apologia & defensione Posseuini contra Mæstlinum (d) ex B. Hambergeri dissertatione (e) huc transcribere liceat. *Primo, inquit, Æquinoctium per æquationem in Calendario præscriptam non retinetur in die XXI Martii, ad quem revocatum est, sed ab eo libere in vtramque partem euagatur usque ad diem XIX & XXIV quamquam ad XXI diem interim redeat. Deinde Nouilunia per Epactas serius, quam oportet, monstrantur, ac proinde contingere potest, etsi raro, vt Pascha in quartam lunaris mensis hebdomadam reiiciatur. Tertio Pascha nonnunquam ex primo mense in secundum vel in duodecimum transfertur, licet raro etiam id fiat, nimirum, quando Luna XIV Paschalis diem XXI Martii antecedit, subsequitur autem diem, quo æquinoctium contingit, vel in eundem incidit, si forte æquinoctium verum ante diem XXI. accidat: vel quando æquinoctium diem XXI Martii insequitur, Luna vero XIV Paschalis idem æquinoctium anteuertit, dummodo ante diem XXI non reperiatur, Quarto, Pascha dies agetur interdum, etsi rarissime, in ipsa Luna XIV, ante Plenilunium siue Lunam XV. Quibus autem nãuis concessis, Pontificiis, raro licet, cum Iudæis in Paschate concurrent; accidet etiam, vt aliquando vno anno bis, in altero prorsus non, celebraturi sint festum Paschale: nec deerit tempus, quo vel in mense secundo vel in vltima quadratura ferias paschales instituent: immo continget, vt quatuor vel quinque fere hebdomadas serius, quam debebant, ferias dictas sint decreturi.*

§. VII.

Satis igitur superque demonstratum iuimus, etiam Gregorium XIII infelicem in Mathesi existisse Reformatorem,

(d) pag. 121. (e) supra laudata, de Basi computi Ecclesiastici pag. 21.

rem, adeoque finem huius capitis iam facere possemus, nisi vnum alterumque nobis adhuc videretur obstare. *Primo* enim Christophorus Clavius, cum nihil aliud excusationis habeat, id solummodo pro sua causa affert: Errores a se commissos esse ineuitabiles & sufficere, quod non temere & destinato consilio Pascha constituatur ac decernatur tempore prohibito. Quæ quidem excusatio, tantum abest vt reformationem errantem reddat felicior, vt potius nauos faciat peiores. Quis vero nobis imposuit necessitatem Cyclos consulere & retinere, cum nullus vnquam ab aberratione prorsus existere queat immunis? Omne potius euanesceat peccatum, si more Protestantium laudatissimo, abiectis Cyclis, rem astronomico calculo expediamus. *Deinde* pugnare pro Pontificiorum computo haud obscure videtur vnus ex nostratibus, qui *Interuentionem pro computatione cyclica & plenariam*, quam vocat, *Calendarii emendationem, nomine Ecclesie Euangelicæ contra Astronomos* (f) Statibus Protestantium proponere non est veritus, atque in eadem pro computo cyclico militare non dubitauit. Sequentia autem habet momenta, Cyclum commendantia, quibus statim responsionem nostram subiungemus: 1. Ne Astronomis subiicerentur Theologi Ecclesiarumque ministri, id quod etiam Conciliū Nicænum mouerit, Cyclicam computationem instituire. Resp. Astronomi non quærunt dominiū & dignitatem Pontificialem in Theologos, sed commodum ac bonum ordinem in Ecclesia, quemadmodum Typographi non quærunt dominium in eruditos, qui eorum libros typis excubendos procurant. Nec vnquam poterit probari, Conciliū Nicænum cyclicam computationem instituisse. 2. Nouas hypotheses mouere turbas. R. Experientia commonstrauit, turbas potius per nouum Calendarium fuisse magnam partem

(f) Vid. Altes und Neues aus den Schatz Theologischer Wissenschaften, ad annum 1701, mense Ianuario num, IV, pag. 35.

tem ablatas. 3. Astronomos ipsos dissentire, propter di-
 uersa in obseruando instrumenta. R. Modo in calculo So-
 lis ac Lunæ non multum a se inuicem abeant, reliqua iam
 non curamus. Experientia autem, Eclipsium calculo com-
 probata, confirmat, non multum differre Astronomos, ma-
 xime illos, qui vno gauisi sunt meridiano, aut non multum
 discrepante, Tychonis igitur obseruationes ex hoc capite
 a nobis præferendas esse censemus aliis remotioribus ver-
 sus Orientem aut Occidentem mathematicis, quia illius
 Meridianus mediam fere Germaniam transit. 4. Blondel-
 lum in Historia Calendarii Romani p. 126. non diffiteri,
 quod Astronomicus calculus ad constituendos vulgares
 factos sit inhabilis, ne eo extendendus. R. Hæc auctori-
 tas est nulla, neque enim Pontificius Pontifici quid dero-
 gabit: neque etiam vna hirundo facit ver. 5. In funda-
 mento computationis, e. g. in quantitate anni solaris, &c.
 magnopere dissentire Astronomos. R. Quanquam modus
 obseruandi æquinoctium diuersis Astronomis sit diuersus,
 indagatio tamen magnitudinis anni ex obseruationibus
 æquinoctiorum longe distans, qua maiores errores fere e-
 uanescunt, est eadem, quæ autem dat fundamentum de-
 terminationis æquinoctii. Et licet computus Astronomi-
 cus quibusdam erroribus esset obnoxius, non tamen seque-
 retur, vt eum respuamus & magis erroneum cyclum præfe-
 ramus. 6. Contra omnem veteris Ecclesiæ ordinem habere-
 mus VI. Dominicas post Epiphantias feriam, & XXVIII.
 dominicas post Trinitatis, quæ res duo ingentia incom-
 moda crearet. Nam primo nullos tum haberemus ab Ec-
 clesia constitutos Euangelicos & Epistolicos textus, quos
 in Calendariis Astronomi annotarent, dein Pascha vtrin-
 que terminos in concilio Nicæno constitutos, nempe diem
 22. Mart. & 25. Aprilis migrabit, R. Olim iam existisse
 VI.

VI. dominicas post Epiphantias festum, Biblia Wittenbergenſia aliaque arguunt, quæ Euangeliorum ac Epistolarum textus adſignant. Viginti autem & octo dominicas post Trinitatis festum futuras eſſe, ex falſo deducitur principio, quaſi æquinoctium aliquando incidat in XVIII. Martii, quod cum Chriſtophoro Clauio ſupra citato negamus. Sed quid tum, ſi daretur dominica ſine textu ab Aſtronomis adſignato, Biblia ſat multos habent, quorum vnum ſupremus Eccleſiæ Episcopuſ eligere ac deſignare poſſit. Neque Paſchati terminoſ fuiſſe poſitoſ à Concilio Nicæno, probari poteſt, ſed iſti termini, qui hic ponuntur ſunt potiuſ Cycli. Ex hiſce autem nunc facile colligetur, quid de reliquis verbis ſentiendum ſit, quæ adeo refutare ſuperuacaneum ducimus. Sunt autem hæc: *Quæ & plura ἀτοπα, & Eccleſiæ præiudicio erunt, & forſan occaſionem exhibebunt, vt Cycli Gregoriani, a Papa inſtituti, cum diſpendio libertatiſ Euangelicæ recipiendi ſint, qui tamen, ipſiſ Pontificiſ Aſtronomiſ fatentibuſ, nimis adhuc imperſecti ſunt, vtpote falſæ computationi Alphoſine ſuperſtructi.*

CAPVT IV.

De Reformatione in Aſtronomia.

§. I.

Reſtat, vt in Aſtronomia quoque Pontificem ſiſtamus infelicem Reformatorem, cuiuſ equidem aliquoſ erroreſ Aſtronomicoſ præced. capite, indirecete licet, comonſtrauimus. Hoc tamen inſuper momentum hic ſpecialim venit commemorandum, quod eſt de *Systemate Mundæ ſententia*. Tenendum igitur in limine ſtatim erit, plureſ, de cæli conſtitutione ac ſtellarum motu, dari hypotheſeſ, cum quibuſ cæleſtium corporum phænomena motum imprimiſ ſpectantia ad rationiſ amuſſim ſolent comparari: quaſ inter eminent Ptolomaica, Tychonica, Copernicana

):(:):(:):(:

&

& Semi-Tychonica. Cum vero omnes simul veræ esse nequeant, utpote sibi inuicem aduersæ; videndum, quænam inter omnes primas teneat ac mathematice verissima omnium haberi possit?

§. II.

Eam autem mathematice veram asserimus, quæ omnibus cæli phænomenis ad motum situmque spectantibus satisfacit; & eam e contrario vel reiiciendam, vel postponendam; quæ vel plane impossibilis, vel non ubique plana & rationi conformis habetur, aut captum humanum transcendit.

§. III.

Quibus præsuppositis, facile adparet, Systema Veterum, a Pythagora olim, Archimede, Aristotele, Plinio, Cicerone, Ptolomæo, Purbachio, aliisque vsque ad Cusani, Clauii & Tychonis tempora, pro vero habitum; quia cælum facit crystallinum, ex huius materiæ Sphæris concavis compactum, esse impossibile ac plane reiiciendum. Neque enim cometarum per cælum irregularisliberrimisque transitus, neque Planetarum tam antiquorum quam nouorum motus; vno tempore terræ nostræ propior, altero remotior, stare posset, de quibus tamen omnibus nullum est dubium (g). Quod vero ad Hypothesin *Tychonicam* attinet, terram immotam asserentem solique ac omnibus stellis, fixis non minus quam erraticis, motum circa terram diurnum, intra 24 horas circiter quotidie absoluendum, non autem prorsus circularem sed paulisper retortum attribuentem; eam equidem satis ingeniosam agnoscimus. Sed vero, cum concedere necesse habeat, singulas stellas fixas intra iētum oculi octingenta minimum milljaria Germanica percurrisse, nec ratio dari possit, cur quinque planetæ su-

(g) Vid. Riccioli *Almagestum Nouum*, Cap. VII, & Schotti *Curs. Math.* Lib. VII. Cap. VI, p. 252.

periores nunc sint stationarii, nunc directi, nunc retro-
gradi, (vt reliqua taceamus naturæ disconuenientia); me-
rito eam suis æstimatoribus relinquimus. At Systema, ob
restauratorem suum *Copernicanum* audiens, motum terræ
vertiginis diurnum ac planeticum annum supponens; quia
est simplicissimum ac mira facilitate ordineque, diuinæ sa-
pientiæ optime respondente, præditum, rationibus etiam
ac argumentis speciosissimis nixum, omnibus item phæno-
menis præ aliis sufficiens: non abs re omnium habetur præ-
stantissimum. Denique Systema Semi-Tychonicum, à
Christiano Longomontano excogitatum, quod motum
terræ vertiginis concedens, annum ac proprium Soli, Pla-
netis, fixisque stellis circa terram tanquam suum centrum,
præter Mercurium, Venerem ac Martem, qui circa solem
voluuntur, adscribit: Quia non omnibus, (vtut pluribus
quam Tychonicum) phænomenis, v. g. Directioni, Statio-
ni ac Retrogradationi satisfacit; inter ea referre nolumus,
de quibus illud liceat asserere: *Medio tutissimus ibis.*

§. IV.

Qualis autem hypothesis Pontifici non arrideat, Galilæi a Galilæis, Ma-
thematici quondam Florentini celeberrimi, exemplum docuit. Cum enim a-
liquando Michael Mœstlinus iunior pro Copernicana sententia in Lycéo o-
rationem habuisset; Galilæus, perpensis eius argumentis, etsi antea Aristoteli
& Ptolomæo penitus addictus, postea pedibus, siue animo potius, in eius iuit
sententiam (h): quam etiam sequenti tempore publice est professus. Id vero
ab inuidis ac inimicis, anno 1615. deferebatur ad Inquisitores Generales, qui
sententiam hancce tanquam impiam ac S. Scripturæ contrariam, relinquere ei
iniungebant, additis comminationibus grauissimis, simulque, ne vltius ser-
peret tam perniciosa doctrina (vt loquuntur Cardinales in sententia sua) emit-
tebant decretum, quo fuerunt prohibiti libri, qui eiusmodi doctrinam tractant.
Postmodum Galilæus scripsit tractatum, qui sub titulo: *Dialogo di Galileo Ga-
lilei delle duo massime sisteme del Monde, Tolomaico, è Copernicano*, Florentiæ e-
ditus est, anno 1629. (i). in quo equidem Copernicam sententiam indeci-

):():():():(2

sam,

(h) *Vossius de scient. Mathem. c. XXXV. §. 21.* (i) *Latine prodiit an. 1699.*
Lugd. Bat. vna cum tract. de motu. Vbi etiam Sententia Cardinalium in
Gali-

fam, sed tamen valde probabilem relinquebat. Quo S. officium ita irritauerat Galilæus, ut eum Romam A. 1630. accerferent, eamque hypothefin tanquam hærefin abiurare detestarique præciperent, atque Galilæum ad carceres damnarent, eique ut tribus annis futuris in hebdomada semel Psalmos penitentiales recitet, mandarent. Hanc autem reformationem in Astronomia extitisse infelicem, ex eo liquet, quod absurdam hypothefin optimæ prætulerunt, hancque, ut Scripturæ S. aduersam, quod tamen falsum, eliminare studuerunt.

§. V.

Sed alia insuper datur ratio, quæ Pontificem infelicem aut errantem Reformatorem in Astronomia arguere videtur, quam tribus saltem verbis indicabimus. Ea autem consistit in mala electione sententiarum abrogandarum. Pontifex enim optimam reiiciens, nec Christianismo damnosam, conuiuet in iis, quæ non tam Mathesi quam Christianæ fidei sunt opprobrio. Hæc sunt ea, quæ Astrologiam iudiciariam concernunt. Quanquam enim in Iure Canonico homines huic addicti non laudantur, ut supra ostensum, nec etiam primis Christianismi sæculis eos tolerarunt, ceu exemplo cuiusdam Eusebii Emiseni (k) & Aquilæ (l) constat; non tamen videmus, eiusmodi hominum genus perniciosum postea pœna dignum fuisse habitum: ut potius plurimi inter Pontificios dentur, magnam partem Clericis adscripti, qui impune hoc studii genus exercuerunt. Sic Tobias *Marmorarius*, Florentinus, Cisterciensis Congregationis cœnobita, quotannis prognostica elaborauit (m). Hieronymus Cardanus quoque, vir alias magni nominis, non modo Astrologiam iudiciariam defendit, sed ipse quoque de iudiciis geniturarum tractatum composuit (n). Et *Petrus ab Alliaco* sæc. XV. clarus, statuere, quod maxime detestandum, non est veritus, Christi natiuitatem præsciri potuisse ex Genethliacis obseruationibus (o). Sed cum plures sint, qui hoc vanæ artis genus refutarunt, quos partim adducit Vossius (p), partim Cl. M. Sigm. Schmiderus, dissert. de Astrologia iudiciaria, Lipsiæ anno 1709. habita, nihil amplius addimus, quam verba Thomæ Aquinatis cum Augustino consentientia (q): Graue peccatum est, circa ea, quæ ad voluntatem hominis pertinent, uti Astrorum iudiciis.

Galilæum & abiuratio eiusdem, ex Riccioli Almagesto Nouo excerpta habetur. Conf. etiam Iani Nicii Erythraei Pinacotheca p. 279. & le dictionnaire de M. Baile.

(k) *Sozomenus* L. I. Str. m. fol. 306. ed. Col. a. 1688.

(l) *Epiphanius*, *Hist. Eccl.* L. III. c. VI.

(m) *Vossius de Sc. Math.* c. LXV. §. 22. (n) *Vossius* l. c. cap. LXV. §. 29. & XXXVII. §. 13. (o) *Vid. Sixtum Senensem* lib. V. *Bibliothecæ sanctæ*, annotatione XV & LXXXI. it. lib. VI. ann. X. *Vossius* l. c. cap. XXXV. §. 43. (p) l. c. cap. XXXVIII. (q) l. c. §. 19.

S. D. G.

Coll. diss. A. 29, misc. 33